

12



22

DE

88 28

VOCABULO SACRAMENTI

PROGRAMMA

QUO AD

EXAMEN PUBLICUM

PRIMI ORDINIS STEPHANEI

DIEB. XI. & XII. APRIL. HOR. POMERID.

INSTITUENDUM

INVITAT RECTOR

CHRISTIANUS GODOFREDUS STRUENSEE

REG. A CONS. SACR.



HALBERSTADII.

EX OFFICINA DELIANA MDCCLXXIV.

J. Cantor Struensee

VOCABULO SACRAMENTI

PROGRANMA

EXAMEN THEOLOGICUM

THEOLOGICIS SACRAMENTIS

AK

CHRISTIANUS GODEFRIDUS STRUBBER

1774


LEIPZIG

MDCCCLXXIV

IN CUIUS LIBRARIA





 Cum mihi esset *primi ordinis* Stephanei nostri *examen* publicum indicendum: non putavi alienum esse, quærere: Sitne vocabulo *SACRAMENTI*, saltem in puerorum institutione, quibus doctrinæ Christianæ præcipua capita tradenda sunt, abstinendum; etiamsi a Theologia non prorsus arcendum videatur? Non sum ex eorum numero, qui, ut aliquam nominis celebritatem consequantur, quam nemo sanus ipsis invidet, doctrinas divinas tentant, & foede pervertunt: itaque mihi hoc loco non de ipsis institutis divinis, sermo est; de baptismo, & sacra coena: quæ cuivis, qui in CHRISTUM credit, sacrosancta merito esse debent; sed de nomine tantum: sitne recte & utiliter factum, ut hæc Christianorum sacra hoc nomine insignirentur? & quæstio de Sacramentis universè in Theologia instituta & disceptata? Quod mihi non videtur: cum vocabulum *Sacramentum* non modo lucis & adjumenti nihil adferat, ut possimus aut rem ipsam melius cognoscere, aut de



ea certius pleniusve judicare; sed ambiguum fit, & vagum, plenum obscuritatis, & plurimarum acerbissimarum contentio- num fons & origo. Non ignoro B. Lutherum pro retinendo hoc vocabulo, cum Caroloftadius, aliique illud e Theologia proscribi & exterminari vellent, acriter propugnasse, ea ra- tione præsertim ductum, quod unicuique vocum, quibus uti vellet, delectus esset relinquendus. In quo illi accidisse vi- detur, quod acriter & infestis animis pugnantibus evenire interdum solet, ut ne hostibus cessisse videantur, iniquo eti- am loco, quem relinquere consultius erat, se defendant. Ar- bitror autem, eum, si potuisset prævidere, quam infinitas, & quam acerbis hoc nomen esset pariturum contentiones, quæ repudiato eo ortæ non essent, in retinendo hoc vocabulo mi- nus aut diligentem aut acrem fuisse futurum.

Sacramentorum nomen ad Christianorum sacra primus tra- duxit Tertullianus, qui multa alia vocabula, quibus veteres Romani vel in suis sacris, vel in re civili, & militari utebantur, perperam ad rem Christianam accommodavit. Qua eum re Christianæ causæ non parum nocuisse arbitror; multis ejus exemplum sequentibus, a quibus cœtus sacri ministris *Sacerdo- tum*, locis, ubi conuentus sacrorum causa agebantur, *Templo- rum*, mensis, ex quibus consecratus panis, calixque distribue- batur, *Altarium*, ipsi denique cœnæ sacrae *sacrifici* nomen te- mere impositum est: unde gravis superstitio, & noxii multi errores in ecclesiam Christianam manarunt. Videtur autem Tertullianus, cum hoc nomen Christianorum sacris adplicaret, duo præsertim secutus esse: primum vocis vim, & notatio- nem. Namque vox *Sacramentum* rem sacram notat: quam ei potestatem Livius tribuit, bacchanalium turpia mysteria
Sacra-

Sacramentum (*) vocans. Secundo Tertullianus mihi ad eam præfertim vim, quam Romani huic voci subijciebant, ut jusjurandum militare significaret, respexisse videtur. Quemadmodum enim Romani milites Sacramento religiose promittebant, velle se fidelem & fortem operam in bellis, acie præfertim, reipublicæ navare, nec injussu imperatoris uspiam discedere: Sic Tertullianus baptismum & sacram cœnam, quibus qui potiuntur se CHRISTO unice vivere, & ab eo imperata facere velle pollicentur, saltem polliceri debent, Sacramenta commode adpellari posse putavit: quoniam horum sacrorum religione fidem nostram CHRISTO, tamquam imperatori, obligamus. Est utique in hac adpellatione aliquid, quod eam prima specie commendat: sed si diligentius attendendum putamus, sacræ cœnæ hoc nomen non commodissime impositum esse, animadvertemus. Baptismum, quem qui suscipiunt se CHRISTI castra sequi velle spondent, Sacramentum commode vocari posse non nego: sed quemadmodum perfidus & nequam miles is esset existimandus, quem repetitis vicibus ad jusjurandum militare eidem imperatori in eodem bello præstandum adigere necessum haberes, sic sacram cœnam, qua CHRISTUS nos crebro uti voluit, Sacramentum recte vocari posse dubito, namque indicaret, aut nos omnino CHRISTI milites antea non fuisse, aut transfugas esse, novo Sacramento obstringendos, quorum neutrum veris Christianis convenit. Sed videtur mihi hoc vocabulum etiam ob eam causam de his divinis institutis non rectissime

A 3

adhiberi

(*) Hoc Sacramento initiatos juvenes milites faciendos putatis? Libr. XXXIX. Cap. XV.

adhiberi, quod nos officii nostri, quo his sacris obligamur, tantum admonet; de beneficiis divinis, quæ in illis proposita nobis sunt, silet: in quibus tamen ita sunt omnia, ut, qui illis non fruuntur, certissimo & maximo bono, quod ex his sacris exspectandum est, non modo careant, sed fidem suam Deo frustra obligent, cui, nisi beneficiis divinis, quæ in his mysteriis offeruntur instructi erunt & exornati, satisfacere nec volent, nec poterunt. Patere ex dictis arbitror Sacramentorum adpellationem nec perspicuam esse, nec accommodatam.

Post Tertulliani tempora patres latini perquam multas res sacramentorum nomine insignierunt: quod non modo mysteriis omnibus, sed tantum non omnibus rebus sacris imposuerunt, ita ut Hieronymus institutionem in doctrinis cœlestibus, ægrotorum curam, pro aliis precandi studium, Sacramenta vocavit. Quod etiam Lutherus fecit, qui vellus Gideonis, iridem, Mannam, & multas alias res, quarum in sacris literis fit mentio, & quæ rerum divinarum imagines & simulacra videri poterant, Sacramenta vocavit: quem morem si teneremus, infinitus sacramentorum numerus esset futurus. Scholastici vocis usum arctius circumscripserunt, & de Sacramentis ita disputare cœperunt, ut novam rerum quasi formam crearent, suamque de Sacramentis doctrinam argutiis futilibus, & otiosis multis quæstionibus pro more suo impleverunt. Quorum vestigia utinam recentiores sequenda non putassent! utinam tot inutiles quæstiones, quæ uti a nemine adhuc explicari potuerunt, ita acerbissimis dissensionibus materiam & causam præbuerunt, simul cum nomine, quocum conjunctæ erant, ex suis scholis exulare passi essent! Quis enim ignorat, quam graves

graves diffensiones inter nostros Theologos, Pontificios, Reformatosque, quas disputationes de Sacramentis pepererunt, intercedant? Contenditur inter nos & pontificios de Sacramentorum numero: illi *septem* numerant; nos non nisi *duo* esse adfirmamus. Quæ controversia Christianorum otium, nisi Sacramenti nomen in Theologiam receptum esset, certe turbare non potuisset. Non minus acriter de effectu Sacramentorum est disceptatum: *quid* afferant? *quibus?* *quomodo?* Quæ quæstiones, uti cum de Sacramentis univérse agitur, sunt impeditiſſimæ, & infinitis *λογωμαχίαις* locum præbentes, ita sunt explicatu faciles, ubi, nomine omisso, hoc in singulis institutis quærendum putamus. Quid adferat baptismus, quid sacra cœna, fugere neminem potest, qui hæc mysteria seorsim contemplatur. Nec magis potest cuiquam anceps aut dubium videri, quibus ex sententia CHRISTI sit ad baptismum aditus, quosve ille sacra cœna uti velit, & quo modo. Et sane qui verbis CHRISTI fidem habent, cum se per baptismum, & sacrae cœnæ usum maximis beneficiis augeri sciant, de modo & ratione, quibus DEUS in impertiendis illis utatur, quærendum non putabunt: cum absolum sit, & absurdum in supernaturalibus rebus, quomodo fiant, requirere eos, qui, quemmodum, rationemve Deus in producendis rebus naturalibus, maxime obviis, teneat, ignorant. Non magis ortæ essent quæstiones inter nostros, & Romanenses Theologos de Sacramentis veteris fœderis, eorumque & Sacramentorum novæ œconomiae discrimine. Comparata enim circumcissione cum baptismo, & agno paschali cum sacra cœna, unusquisque, tum quid inter utraque instituta intercederet, tum quibus in rebus convenirent, facili negotio potuisset intelligere. Non multo minore contentione inter purioris doctrinæ Theologos, qui

in plurimis & gravissimis doctrinis idem sentiebant, controversiæ multæ agitatæ sunt, quæ discordiam & alienationem (utinam abfuissent odia & hostiles inimicitiae!) quam nemo bonus satis lugere potest, pepererunt & aluerunt: quas huic vocabulo, temere suscepto, & nimium præfracte retento unice debemus. Repudiata enim hac voce si pie & candide tantum de baptismo, & sacra cœna quæsvissent, & quæ sacra scriptura de utriusque instituti natura & fructu tradit: nec attulissent fictas suas, & temere de Sacramentis susceptas opiniones, ad quas divina effata postea detorserunt, ad hanc disputationem: profecto, si quid iudico, hæc sententiarum & animorum indignissima & turpissima dissensio locum nunquam habuisset. Quæ qui considerat, dubitare non potest, vehementer esse optandum, ut hac voce theologi, aut nunquam essent usi, aut si ea utendum putarent, non aliquam novam rerum formam confinxissent, ad quam instituta Dei omnia, tanquam ad modulum aliquem conformarent, additis multis ex suo ingenio, tanquam maxime necessariis, quorum in sacris literis nulla sit mentio. Constare arbitror, hoc vocabulum, ἀγρεφον, multarum dissensionum & concertationum theologicarum fontem fuisse, atque ob eam causam tanquam detrimentosum a Theologia removendum.

Accedit tertio, quod hoc nomen nondum ita aut definitum est, aut definiri posse videtur, ut institutis omnibus divinis, quæ Sacramenta vocari consueverunt, conveniat: quod mihi videtur esse ejusmodi, ut in institutione puerorum, quorum animis falsam ideam imprimit, omnino ab illo abstinendum videatur. Omisissis scholasticorum definitionibus, obscuris, & perplexis; illis etiam, quas Seculo XVI. partim nostrates

frates Theologi, partim Reformati dederunt, quæ eo vitio omnes laborant, ut sint suo definito latiores; illam modo sub examen vocabo, qua hodie plerique utuntur, ut tantum non in omnibus systematibus nostris, & compendiis recepta sit. Recentiores enim Sacramenta ita fere definire solent: esse actiones a Deo præceptas, ut sub re aliqua externa cœlestis quedam & divina res cum gratia divina hominibus impertiatur. Quam definitionem qui probant quatuor res in Sacramentis requiri adfirmant; mandatum divinum, secundo rem Sacramenti, tam externam, sensibus obviam, quam cœlestem & divinam, tertio ipsam actionem, quarto denique gratiæ beneficia, a quibus rem Sacramenti cœlestem diversam faciunt. Hæc autem definitio etsi ceteris, quæ dari solent, merito est præferenda, ita, si curatius ad eam attendas, est comparata, ut uni modo Sacramento, *altaris*, conveniat, cæteris adplicari non possit. Cum enim in baptismo quærimus, quæ sit res Sacramenti cœlestis? eam nusquam a Deo indicatam esse reperiemus: qua etiam re factum est, ut in ea definienda theologi nostri valde discrepent; cum aliqui ipsum DEUM, alii spiritum sanctum, alii sanguinem CHRISTI, alii verbum divinum rem Sacramenti cœlestem esse dicant: quod tamen temere fit, & sola hominum auctoritate nititur; cum sacra scriptura de hac re nihil pronunciarit. Ergo si Sacramenti definitio vulgaris retinetur: baptismus eo nomine adpellari nequit. Idem de agno paschali adfirmari potest, in quo nec res Sacramenti cœlestis, nec promissio gratiæ expressa est. In circumcissione non modo res nulla terrestris adest, quæ sit cum cœlesti unita: sed aufertur potius aliquid ab homine; ut quomodo Sacramenti nomen illi convenire possit non videam. Quæ cum ita sint unusquisque intelliget, Sacramenta sic definiri,

B

ut

ut plerisque rebus, quæ Sacramenta vocantur, non conveniat definitio, fitque adeo suo definito angustior. Verum hæc Sacramentorum definitio mihi alio præterea vitio laborare videtur: eo scilicet, ut sit suo definito *latis*, possitque, si non omnibus, certe plurimis antiqui fœderis ceremoniis tam accommodari, quam baptismo. Quæ cum considero non optare nequeo, ut hoc nomen sua natura non commodissimum, plurimarum dissensionum, & controversiarum parens, quod nondum recte definitum est, nec definiiri posse videtur, profus obruatur; certe pueris, qui vim ejus percipere vix possunt, non obrudatur.

Restat, ut, propter quem finem hæc scriptio suscepta est, *Reverendissimos* ludi nostri literarii *Patronos*, omnesque illos, quibus studia nostra non displicent, *parentes* præsertim eorum, qui nostræ curæ concrediti sunt, submisse & officiosè rogem, velint, pro sua erga nos benevolentia & amore, classis primæ publico examini haud gravate interesse, suæque præsentia discipulorum ardorem inflammare. Habebam in animo cum examine actum oratorium conjungere: sed cum non exiguæ parti eorum, qui ad altiora abeunt, ob graves & improvisas causas citius, quam putaram, fuerit discedendum, aliaque impedimenta inciderint: eos, qui una declamaturi erant, cum aliis pauculis septimanis interpositis produci posse spero. Scrib. *Halberstadii*, a. d. vi. Apr. *MDCCCLXXIV*.





5. Dez. 1995

78 L 1245



ULB Halle 3
005 611 288

A standard 1D barcode is located below the text on the library label.



Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

22
DE

88 28

VOCABULO SACRAMENTI

PROGRAMMA

QUO AD

EXAMEN PUBLICUM

PRIMI ORDINIS STEPHANEI

DIEB. XI. & XII. APRIL. HOR. POMERID.

INSTITUENDUM

INVITAT RECTOR

CHRISTIANUS GODOFREDUS STRUENSEE

REG. A CONS. SACR.



HALBERSTADII.

EX OFFICINA DELIANA MDCCLXXIV.

J. C. Cantor